

www.e-rara.ch

Philippi Lansbergii ... opera omnia

Lansbergen, Philips van

Middelburg, 1663

ETH-Bibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-2516>

Potentibus dominis, [...]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Potentibus Dominis,

D. REINERO VANDER BEECKE,
D. ADRIANO DE HUYBERT,
D. GERARDO VANDER NISSE,
D. WILHELMO L. VAN VRYBERGEN,
D. GASPARO INGELS,
D. JOHANNI MAUREGNAULT,
Illustrium Comitatus Zelandiæ Ordinum
Nobilissimis Delegatis, &c.

DEIN

Amplissimis Prudentissimisque,

D. ADRIANO VETH,
D. PETRO DE HUYBERT,
Illi Zelandiæ Ordinum Syndico excellen-
tissimo, huic eorundem Secretario Meritissimo,
PERPETUAM FELICITATEM.



Erunt omnium quæ naturæ imperio sub-
jectæ princeps homo, quamvis cœlestium
mutabiliumque consors, amborum legibus
moderatur, is tamen scientia sui numinis-
que inflammatus, quæ sibi utenda, quibus
inserviendum sit, facile recognoscit. Ne-
que cum vitæ cursum tenet, ut sensuum
blandimentis irretitus, nihilo mutis ani-
mantibus videatur præstabilior: quoniam
& istæ necessaria corpori præsidia parant:
sed alterius partis divinitate confusus, ter-
renam intra se despicit, & hujus compagibus perruptis memor fit
originis suæ, & particeps æternitatis. Hac ratione vivendi, hac per-
fe-



fectione qui insignes olim fuerunt, quæsitissimis honoribus culti, & Dii rite sunt habiti, quod magna fructuosaque beneficia in homines contulissent. Inde, prout multiplex erat animorum impetus, accenso ad gloriam desiderio, complura disciplinarum genera condiderunt, partim necessitate, partim studio cognoscendi excogitata. Alii operum naturæ pulchritudinem mirati, sagacitate in profunda maris descendere, non cœlum altissimum, nulla aëris caligo confudit, non terræ densitas morata, quo minus viventia & inanima pari fœlicitate contemplarentur. Quidam in res divinas intenti, illas sempiternas, immutabiles, omnisque materiæ labe carentes, prout tulit humana fragilitas, theologiam tradidere. Intervenerunt alii medio scientiæ genere ducti, qui mathematicas artes, demonstrandi subtilitate certissimas, sed naturalium divinarumque rerum confines, propagarunt. Sunt hæc tria plurimis seculis celebrata sapientiæ studia, propter se non ob aliud quicquam mortale expetenda, utque potissimum inscientiam erroresque turbulentos ab animis depellamus. Sed de mathematicis vulgus studiosorum non recte sentire, etiam illos ipsos propè qui profitentur, constat: sive quod mira earum simplicitas, ornamentum nullum, luce sua, & frugalitate nativa, contentæ: sive quod diutius in jaciendis primordiis occupatæ; hominum vero ingenia fructus mox petant; labores declinent: evenisse reor, ut missis elementis in quibus earum vis est sita maxime, in medias artes statim inrumperent, ac cum ignotas verbis diu sonuissent, novissime abjicerent damnarentque. Ut imperitus navium, & maris, ubi adplicata litoribus navigia videt, nautas per fora discurrere, malum per funes conscendi, vela ciendo sibilo ventis pandi, lusum putat nulli rei profuturum. Atqui hæc machinæ, sapientum industria repertæ, quibus per tot sæva periculis maria, ad extremos terrarum & mundi fines, hominum genus excucurrit, ac naturam, qua inaccessa videtur, sensibus subjecit. Schemata muta pinguntur, muta æque adsistunt elementa, totiens geminanda: in his vestigatur ratio figurarum: quo tendant, quid promittant, non prius cerni datum, quam prima mediis atque hæc postremis subtiliter comparentur. Quis interea moras vorare nequidquam, aut tædia laborum sustinere adgreditur? Ex his tamen elementis velut fonte uberrimo, ast non cuivis scaturiente, omnis longitudinum, latitudinum, profunditatum, omnis insularum, agrorum montiumque mensio, omnis de cœlo per instrumenta syderum observatio, & gnomonice tota, omnis machinarum vis & ponderum ratio, omnis in cogendo spiritu, apparitionum in speculis, in picturis, in phantasiis, diversitas manavit. Ut vero in theatrum orbis admissa semel mathematice fuit, globi terreni reperta medietas, inventi cardines, mundi figura explorata, tum unius cujusque corporum: & præter ista stellarum conversio, ortus occasus, diei noctisque & temporum per omnes terræ tractus varietas, ac de hoc genere multa admirabilia, sic posita in expedito, ut momenta locaque toto cœlo prædici certo possint. Divina pectora, & Spiritu Dei vere suscitata, qui mentis vi notitiam inclytam, è rerum caligine, per ardua difficultatum,

tum, velut principale patrimonium posteritati consecratum reliquere. Contra retroactis seculis quicumque ad has artes non respexerant, turbulentum genus philosophorum, in monstrificam absurditatem relapsos videmus: ac horribile dictu, ut discendi temeritate se ipsam ludificante, in lucis operum & sapientiæ Dei execrationem homines eveherentur. Secus enim rerum quam linguarum studia sunt: in animum, in iudicium transeunt: ubi nisi proficiatur, damnum dari certum est, & pro labore stultitiam, sæpè etiam impietatem reportari. Hæc cum sæpenumero cogitarem, salubre à tot malis remedia reperi: ab ipsis incunabulis sobrie philosophandum: cunctaliquide scrutanda. Id fieri, si Mathematices simplicitas, puris mentibus congruens, post linguas imbibitas, scholis inferatur: & in his principio consuescant animi nisi explorata admittere: nulli se nisi vera docenti præbere: temeritatem assentiendi procul habere: unam veritatem solum quærere: ab omni jactantia abesse. Quoniam enim nihil immensius, quam per rerum universitatem cogitationes ducere; nihil difficilius, quam in contemplatione citra lapsus versari: nihil divinius, quam sapientiam ubique & ab omnibus discere: qui ista absque ratione & via instituunt, in septam ambagibus studiorum sylvam præcipitantur, unde post majores tenebras nullus unquam regressus sit. Interim ea dum calentibus votis petimus, quos cura publici egregii tangit, providebunt, ne quid detrimenti res communis patiatur, quam non minus literis & scientiis quam armis decoratam esse oportet. Quo nomine, si qua nascentia studia juvare ipse possem, quantum Lansbergianorum scriptorum fuit, ordine omnia typis descripsi, nullisque dum in eo sum laboribus peperi. Lusit enim hætenus Uranien Diana, magistra discipulam; sed nunc, quod spero, luminibus eam adspicit certioribus, copia sui non simulata. Tabulas motuum cœlestium videte, arduum & quadraginta amplius annorum opus, cunctorum retro seculorum congruens observationibus; quod à præclaris ingeniis crebro adfectatum, & quamvis pro se quisque gnaviter adniteretur, ab nemine in hanc usque ætatem perfectum, omnibus constat. Jam pridem insita mortalibus scientiæ cupido, post Hipparchum Rhodium, in Ptolemæo, Albategnio, Arzaële adolescere videbatur. Modo Alphonfus, opibus prævalidus, excitis regia liberalitate Ægyptiis Judæisque & Arabibus, ingens ruinosa arti præsidium. Mox in Germania Purbachius, Regiomontanus, & cum Copernico Reinholdus, post multi temporis vigilias, liberatam erroribus Astronomiam condiderant. Et nunquam deinceps, nisi de veritate quæsitum. Eadem Tychonem Braheum, eadem Keplerum, hunc Cæsaris Rudolphi, illum Daniæ Regis gratia animatum, cœli vias ut curatius scrutarentur, impulere. Sic per diversa temporum spiramenta, velut gradibus processibusque aucta scientia, dum priorum inventis nova adjicit posteritas, aut fluxas rationes cautè ludificatur, robusta maturitate in eam qua hodie est magnitudinem enavigavit. Sed & sequens fortassis ætas multa laudis ac artium imitanda nepotibus transmittet. Cunctis enim rebus inest quidam velut orbis,

orbis, ut quemadmodum cœlestia sydera, ita scientiarum vertantur: nec omnia apud antiquos optima; nec apud omnes statim gratiam, fidem, auctoritatem inveniunt, quæ sola ratione & observationibus ponderantur. Si hanc sapientes viam tenuissent, ut semper majorum intra terminos subsisterent: demersa adhuc tenebris lateret veritas: nova artium lumina minime lucent. Archimèdem, mirabilium operum artificem, admirata est antiquitas, quum illius ingenio Syracusæ defenderentur. Nec Demetrius, ob repertam machinam, minore gloria fuit, & famam in posteros pulcherrimum præmium transmisit. Nostra verò ætas ut ista magnificè exornavit, sic & artes novas eduxit, ad quas priorum nunquam industria penetraverat. Quis tormenta ignorat bellica? quanto hercle vel ballistis concitatore, vel catapultis rapidiore impetu feruntur? Quis nescit navigandi peritia, cum Belgæ in arma truderentur, contabulatum classibus Oceanum? repertas Insulas? referata Indiæ claustra? maximam continentis ad Occiduum partem, priscis ignoratam, nostris ingenti commodo cognitam fuisse? Terrarum faciem, si quisquam veterum redeat, ægre adgnoscat, adeo novus orbis inductus videtur navigatione, quæ cuncta rimantibus nihil obvelatum latere permisit. Quid horas loquar æquinoctiales, ad quas regionum expensæ longitudines? Quid syderum magnitudines? Quid earum à terra distantias? Quid artem librorum chalcographicam, divinarum humanarumque rerum propagatricem? Atque ista de nostris hausta fontibus, ac mox, ut fere fit, ubivis gentium derivata, haud leve compendium humano generi attulerunt. Quisquis mentis valens acumine, blanditiis voluptatum socordiave non irretitur, sed ad rerum præstabiliū contemplationem tempus sumet, poterit eandem cum veteribus orbitam terere, eorumque opibus adjutus, ampla scientiis addere incrementa, & abstrusarum disciplinarum adferre proventum. Nemo hoc seclum tanti insimulet stuporis, ut oppressum nequeat aliquando recreare sese & altius extollere. Præter ea quæ nobis luce veritatis divinitus allata, sapientiæ genus omne florescit, dicendi ratio excolitur: geometræ, architecti, ceterique longe artifices sic industriam extulerunt, ut pro multiplici impetu & intentione, artes suas magnificè ornarint, necessitate an studio juvandi hætenus inchoatas. Quocirca abhinc annis fere sexaginta, quum ætate, munere & doctrina venerabilis Philippus Lansbergius, adducto per meditationem animo, deprehendisset plurima in Mathematicis turbide adeo & inconstanter tradita, ut sapius inter sagacissimos quid sequendum declinandumve ambigeretur; id negotii credidit sibi dari, quodcunque longo usu cottidie observaverat, in commune bonum ingenue conferendum. Quam provinciam summe arduam ut pervidit, posthabitis tamen malevolorum obrectationibus, quicquid discriminis erat subire, ingeniique vires experiri, honestum cum primis & generosum esse duxit. Si summam in his artibus perfectionem non assequutus, quam nihilominus validis rationibus exprimere conatus est, humanæ fragilitati donandum videtur. Avia quippe ingressus, nec ullius solo

trita

trita vestigia , qui potuit ubique rectum tramitem tenere , ut incautus alibi non lapsaret? Primum inventis domesticis imbutus , animo peregrinari ausus per cœli plagas , exploratione acuminis sui , pervia sapientiæ , superas regiones inspexit ; aliisque eam scientiam tradidit , ceu prophetæ quidam numinis majestate completi effantur cæteris , que divino beneficio soli vident. Sic errantium stellarum , quæ diversis affixæ globis , inordinatum ordinem servant , magnitudines agnovit ; ceteras ultra , nec ejusmodi erroribus vagas , pari solertia complexus ; & quantum à terra distent singulæ , primus descripsit. Circuli dimensionem , post Antiphontis , Apollonii , Philonis Gadareni studia , per inextricabiles tenebras viginti seculis cespitantem , expensis omnium demonstrationibus , novam extruxit. Adhæc cœli faciem , stellarum officia , cur & quemadmodum moveantur , portatili machina , signifero orbe aliisque syderibus illuminata repræsentavit : & , quod in artificis laudem cedit , tam obvia facilitate , ut instruere imperitam multitudinem , certe allicere ad sublimium corporum contemplationem possit. In reliquis multorum lites diremit , dubia stabilivit , obscura illustravit ; ubique rem omnem sic temperavit , ut neque lectorem Asiatica redundantia oneraret , neque brevitate concisa suspenderet ; sed viam brevem primum cognoscendi , deinde cognita cum aliorum scriptis expendendi indicaret. Quod igitur Lansbergius vestris quondam auspiciis inchoatum opus , vestra liberalitate auctum perfectumque , vobis , potentes nobilissimique viri , devoverat , idem nunc auctum & locupletatum , non dubitavi hoc gratissimo pacis tempore nuncupare : id scilicet præfagiens animo , quæ per Galliam Italiamque & patenter latè Germaniam faventibus accepta judiciis , eadem vos in maximis occupationibus non adspernari. Mihi certe solatio fuit , ad prodendam auctoris memoriæ , in ea tempora incidisse , quibus sub imperii vestri lenitate sic omnia piis legibus moderantur , ut nullus usquam perditorum hominum insultus , sed disciplinæ summa observatio , & humanitate temperata severitas , suus etiam studiis honor constet. Scimus , ajebat Symmachus præfectus urbi rerum potente Theodosio , bonas artes honore nutriri , atque hoc specimen esse florentis reipublicæ , ut disciplinarum professoribus præmia ampla pendantur. Nec minus virtutes iisdem temporibus facillime proveniunt , quibus maxime foventur. Hic interim liber , quod faustum vobis sit , inclyti Patres , quod vestræ Zelandiæ gloriosum , post variorum annorum impensas feliciter eductus , velut in sacrum numinum vestrorum sinum ingenua devotione confertur. Cujus utinam obsequii præmium feram , ut deterso adulationum fuce intelligatis , quam non fortunam in vobis , quam vos ampla in fortuna venerer : cui cum omnibus subditis omnia , tum etiam privatim plurima debere profiteor. Deus Optimus Maximus , Patriæ Patres , imperium vestrum , emporiis navalibus , fideque bellis Hispanicis & constantia toto Orbe famigeratum , benè secundet : & sicut frementis circa nos tumultuantisque Oceani impetum ac spumam exigua arena & levi obice objecto frenat : sic sistat hostium

**

flo-

florentissimæ provinciæ , & in ea sanctuario suo incumbentium
tentamenta: propriaque nobis faxit , quæ olim contuiti sumus , &
adhuc contuemur bona; sed illa præcipue imperiorum munimina , re,
ligionem , justitiam , atque concordiam. Middelburgi Zelandorum-
M D C L X I I I . Kal. Junii.

Fide & obsequio subditus
vester

ZACHARIAS ROMAN.

